facere posset [a], eis redeundi licentiam concederet. Volens Faventinorum [b] potestas de suorum consilio sapientum, et maxime virorum religiosorum acquiescere dictis, tum quia prope vesperas aderat, tum quia propter innumerabilem multitudinem captivorum, quos secum habebat, tum quia longi itineris reversionis via restabat, ad clamorem tubarum civium in medio positarum [c] voluntate utrinque Ravennatum, et cives cum suis [d] ad propria remearunt. Sub anno Domini MCCXXXVI, die XI maii itaque planxerunt [e] Ravennates, Ariminenses, milites Livienses, et alii apud Plantam de Borfagliago post civium regressum, diras emittentes voces atque lamenta, laniantes vestes, et inicientes manus in capillos, super eorum populum planctum huiusmodi amarissime flentes: Heu nobis, bone populus! Heu nobis, honorabilis populus! ut quid te duximus, nobis videntibus, ad interficiendum? Heu nobis, bone populus! ubi clypei, ubi arma vestra a Faventinis abjecta sunt? Heu nobis, amabilis populus, et decorus! utinam a principio non fuissemus divisi. Heu nobis, quod carmen poterit nova Cremonensium et nostrorum societas Lombardorum canere! Heu nobis! quis in tribulatione consolabitur tribulatos? Heu nobis! quis erit adiutor in tribulationibus, quae invenere nos nimis? Heu nobis! quid nati sumus videre corruptionem populi nostri, et contritionem civitatum nostrorum [f], et habitare in eis? O Liviensium, Ariminensium, Ravennatumque civitates, quomodo ceciderunt fortes tui in bello, et perierunt arma bellica! O amarissima separatio! O inimica absentatio! O nimis horrenda mors, quae tam bono populo nos orbatos reliquisti! O quantus luctus omnium erat in tam miseranda horum proclamatione! Singularis eorum lamentatio nimium erat [g]. Fuerunt autem in Faventinorum vinculis, quos secum duxerunt ex omni populo, ~~tria millia et septingenti~~ [h], et fere trecentum fuere rapti de medio, et bene triginta vexilla et sex petreriae [i] civibus remanserunt. Domus vix inveniebantur Faventiae aptae captivis, quos ex suis omnibus ceperant inimicis.

Iuramentum Liviensium.

CAP. CCXV.

In nomine Domini MCCXXXVI, die quarto exeunte mense maii, iuraverunt Livienses in plena concione ad praecepta ..... se obedituros obnixe. Quid dominus Rubacontes Faventinorum potestas eis praecipiens, ut in captionem ..... [j]

[a] *pro servitiis, quae facere posset.* C. V. habet: *pro fervicis quibus facere posset;* C. A. habet: *pro servitiis quibus* etc. — [b] *Volens Faventinorum.* Sic Codd. Lege *voluit,* aut *cum vellet* etc. — [c] *civium in medio positarum.* In Codd., *civium in medio ponarum.* — [d] *et cives cum suis,* C. A.; *et cives ad,* C. V. — [e] *itaque planxerunt,* C. A. — [f] *civitatum nostrorum,* Sic Codd.; et sic legendum. — [g] *nimium erat,* C. V.; *omnium erat,* C. A.; — [h] *tria millia et septingenti.* In Cod. V., MMMDCC. — [i] *et sex petreriae.* C. V., *et sex petrerias.* C. A., *septem petrerias.* — [j] Sic in C. V.; sed hoc caput extrahi probabiliter non potuit a scriptore, quia codex vel erat erosus, vel alio modo vitiatus; eratque caput hoc postremum, licet, temporum seriem sequutus, huc ego transtulerim. Nam post hoc caput, in exemplo Cod. Viaran., ex quo illud desumpsi, sequuntur haec verba italice scripta: *La soprascritta Cronica s' è havuta da ser Bastiano di Guidone, alias detto di Pasolino, la quale era delli Manfredi di Faenza, scritta in carta pecora, libro antichissimo.*